

deinceps doctor suavissimus et fortissimus martyr Cyprianus, alique quamplurimi. Misit et aurum, quod in eadem pene significatione accipitur, quia nimirum viros sapientia et ingenio preclaros ostendit, pro quibus cunctis oblationibus Gentilitas a Deo dona expectat gratie coelestis.

**Vers. 11.** 11. SALOMON AUTEM PRÆBERAT HIRAM COROS TRITICI VIGINTI MILLIA. — Tyrus enim tunc erat insula et undique cineta mari, ut in ea nec seri nec meti posset. Unde Hiram petens a Salomone triticum in sua epistola apud Iosephum ait: « Tritico indigemus, quippe insulares sumus: » postea vero Tyrus a Nabuchodonosor per tredecim annos obsessa, comportatis in mare terræ aggeribus, ut adiri et expugnari posset, facta est Peninsula, ut dixi *Ezech.* XXIX, 17 et 18, et *Isaie* XXIII, 40.

**Vers. 13.** 13. ELEGITQUE REX SALOMON OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, ET ERAT INDUCTIO TRIGINTA MILLIA VIRORUM. — Per « operarios » intellige primarios et artifices, vel prefectos operum. Nam, ut dicitur cap. IX, 22, « de filiis Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes, et duces, et prefecti curruum et eorum. »

**Vers. 15.** 15. FEBRUNTQUE SALOMONI SEPTUAGINTA MILLIA FORUM, QUI ONERA PORTABANT, ET OCTOGINTA MILLIA LATONORUM IN MONTE, — hoc est lapidarum, qui lapides ex monte sive rupe exciderent. Hi enim non erant Israelitæ, uti jam dixi, sed proselyti, ut patet II *Paralip.* II, 17 et 18. Proselyti igitur hi erant Gabaonitæ ceterique Chanaanæ Hebræis subiecti, et ad judaismum conversi. Proselytorum ergo onera portantium et latonorum in fabrica templi erant universim 450 millia, Hebræorum vero triginta millia, ut dictum est vers. 13, quæ adde 150 millibus, fiunt 180 millia. His adijce Tyrios et Sidonios, quos Salomon ab Hiram postularat, ipseque ei submiserat, ut patet vers. 6 et 9, ac Ægyptios, quos Pharaon sociis Salomonis ei destinarat, evadent ducenta millia et amplius eorum qui laborant in fabrica templi, imo, si credimus Eupolemo apud Eusebium lib. II *De Prepar.*, evadent trecenta et quadraginta millia: Eupolemus enim asserit Hiram misisse Salomoni octoginta millia Tyriorum, ac Pharaonem totidem millia Ægyptiorum, qui juncti faciunt 160 millia, quæ si addas 180 millibus a Salomone destinatis, fiunt 340 millia. Verum hic numerus videtur nimis et quasi incredibilis. Unde nonnulli opinan-

tur errorem esse in numeris Eupolemi vel Eusebii, ut octoginta millia irreperint pro octo vel octodecim millibus. Sub latomis, id est lapideis, intellige lignorum caesores, sed hic latomi soli numerantur, quia erant plures lapideæ quam lignicidæ. Sic sub onera portantium intellige aurigas, maultas, muliones, agasones, etc.

16. ABSQUE PRÆPOSITIS, etc., NUMERO TRIUM MILIUM ET TRECENTORUM. — Dices: II *Paral.* II, dumerantur tria millia et sexcenti. Respondeo, ex sexcentis erant trecenti, qui ipsis præpositis præerant, quos addit et supplet liber *Paralip.* Ita Vatablus, Dionysius, Cajetanus et Salianus.

17. UT TOLLERENT LAPIDES GRANDES, LAPIDES PRETIOSOS, IN FUNDAMENTUM TEMPLI. — Ergo hi lapides pretiosi non erant adamantes, carbunculi, smaragdi, sed marmorei: hi enim sunt duri et fortes, ut in fundamenta militantur ibique fabricam omnem sustineant. Porro marmor est magni pretii et varii generis. Aliud enim dicitur Ophites, eo quod habet maculas instar serpentium: hoc enim est serpens. Aliud dicitur Porphyrites, quod rubeat, ac candidis punctis dispungatur. Aliud est Parium et album, aliud nigrens, aliud viride. Aliud dicitur sphengites, quod splendet et tralucet.

18. PORRO BIBLI PRÆPARAVERUNT LIGNA ET LAPIDES. — Putant nonnulli fabros hos dictos Giblos ab Hebræo גבול *gebul*, id est terminus, quod dolando lapides eos eleganti figura terminarent. Verum dico Giblos sive Biblos (littera enim g subinde commutatur cum littera b) dici ab urbe Biblio, de qua Adrichomius, pag. 483, num. 11: « Biblus, inquit, sive Byblos, et Biblum, olim Eva seu Evæa, nunc Gibel, Giblee et Bibleth dicta, inclitya Phœnicis civitas est, quæ Hebræice Gebal et Gobel; incolæ vero ejus Biblii seu Gibli in sacris litteris vocantur. Hæc versus Aquilonem a Cane fluvio tribus, contra Austrum vero a civitate Botro quatuor miliaribus super mare sita, ab Evæo sexto filio Chanaan fundata scribitur, de qua in tertio Regum libro hoc modo legitur. Porro Biblii præparaverunt (Salomoni) ligna et lapides ad ædificandam domum Domini. » Denique in Biblio erant Adonidis templa, ait Strabo, lib. XVI. Hodie Gaeta dicitur (1).

(1) Hodie ab Arabibus *Djebek*, vel *Djebel*, vel *Djebail* nuncupatur, inter Tripolim et Berytum sita, a Tripoli distans 55 kil.

## CAPUT SEXTUM.

## SYNOPSIS CAPITIS.

*Salomon fabricat templum.*

1. Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus), regni Salomonis super Israel, ædificari cepit domus Domino. 2. Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. 4. Fecitque in templo fenestras obliquas. 5. Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. 7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est; et malleus, et securis, et omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur. 8. Ostium lateris medi in parte erat domus dextræ, et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. 9. Et ædificavit domum, et consummavit eam; texit quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, et operuit domum lignis cedrinis. 11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens: 12. Domus hæc quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea gradienti per ea, firmabo sermonem meum tibi quem locutus sum ad David patrem tuum. 13. Et habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel. 14. Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam. 15. Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus, et texit pavementum domus tabulis abiegnis. 16. Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina a pavimento usque ad superiora, et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. 17. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas et juncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes; omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, et poneret ibi arcam fœderis Domini. 20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis, et operuit illud, atque vestivit auro purissimo; sed et altare vestivit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, et affixit laminas clavibus aureis. 22. Nihilque erat in templo quod non auro tegetetur; sed et totum altare oraculi texit auro. 23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera; id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat cherub secundus; in mensura pari, et opus unum erat in duobus cherubim; 26. id est, altitudinem habebat unus cherub, decem cubitorum, et similiter cherub secundus. 27. Posuitque cherubim in medio templi interioris; extendebant autem alas suas cherubim, et tangebant ala una parietem, et ala cherub secundi

tangebatur alterum alterum : alia autem altera in media parte templi se invicem contingebant. 28. Textit quoque cherubim auro. 29. Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis caelaturis et torno, et fecit in eis cherubim et palmas, et picturas varias, quasi prominentes de pariete, et egredientes. 30. Sed et pavimentum domus textit auro intrinsecus et extrinsecus. 31. Et in ingressu oracli fecit ostiola de lignis olivarum, postesque angulorum quinque. 32. Et duo ostia de lignis olivarum, et sculpsit in eis picturam cherubim, et palmaram species, et anaglypha valde prominentia; et textit ea auro; et operuit tam cherubim quam palmas et caetera auro. 33. Fecitque in introitu templi postes de lignis olivarum quadrangulatos. 34. Et duo ostia de lignis abiegnis atrinsecus, et utrumque ostium duplex erat, et se invicem tenens aperiebatur. 35. Et sculpsit cherubim, et palmas, et caelaturas valde eminentes; operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam. 36. Et aedificavit atrium interius tribus ordinibus lapidum politorum, et uno ordine lignorum cedri. 37. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio, 38. et in anno undecimo, mense Dul (ipse est mensis octavus) perfecta est domus in omni opere suo, et in universis utensilibus suis, aedificavitque eam annis septem.

### IDEA TEMPLI.

Templum Salomonis fuit instar tabernaculi Moysi: tabernaculum enim erat quasi templum mobile Hebraeorum peregrinantium in deserto: templum vero erat quasi tabernaculum fixum et stabile eorumdem quiete habitantium in terra promissa. Quare sicut Deus ideam tabernaculi dedit Moysi, *Exodi* cap. xxv et seq., sic et idem templi fabricandi dedit Davidi, ut is eam traderet Salomoni ut patet *I Paral.* cap. xxviii, vers. 49. Templum ergo aequae ac tabernaculum proprie duas habebat partes, una anterior dicebatur Sanctum, altera posterior dicebatur Sanctum sanctorum, ut est sanctissimum, uti est chorus in templis nostris. In Sancto erant tria, scilicet *primo*, candelabrum septiceps totidem lucernis impositis luens. *Secundo*, mensa panum propositionis, continens duodecim panes, quos duodecim tribus offerabant Deo in gratiarum actionem, quasi protestantes se in terra promissa alii a Deo. *Tertio*, altare thymiamae vicinum et obversum Sancto sanctorum, in quo quotidie mane et vespere immolabatur thymiama Deo resident in Sancto sanctorum. Jam in Sancto sanctorum erat arca foederis cum suo operculo, id est propitiatorum, sustinens duos Cherubinos, qui junctis alis exhibebant quasi sedem et thronum Deo inde danti oracla et responsa de iis, quae ab eo sciscitabatur pontifex indutus Rationali Urin et Tummim. Nam in Sanctum sanctorum nemo ingredi poterat nisi pontifex, in Sanctum vero nemo nisi sacerdos: qua pro populo ante Sanctum adjectum fuit atrium sub dio, quod erat quasi populi sive laicorum templum, ut in eo orarent et sacrificia spectarent. Atrium hoc erat duplex. Prior enim ejus pars vicina Sancto cedebat sacerdotibus: in eo enim erat altare holocaustorum, in quo sacerdotes victimas immolabant, ac labrum sive mare aeneum,

in quo sacerdotes tam se quam victimas ablucebant. Posterior et remotior a Sancto atrii pars cedebat laicis, qui inde spectabant sacrificia, quae fiebant in atrio sacerdotum; unde ab eo distinguebatur muro alto tres cubitos duntaxat, ita ut laici ultra eum spectare possent sacerdotes eorumque actiones. In hoc atrio Christus docuit. Nam in Sanctum ingredi non poterat, eo quod non esset sacerdos Leviticus. In atrium utrumque nemo ingredi poterat nisi mundus. Quare pro immundis et Gentilibus Herodes adiecit tertium atrium, quod erat extimum et remotissimum a Sancto; ac separatam ab atrio Judaeorum manderum.

Porro ad muros vel latera horum atriorum erant exedrae, quae et gazophylactia et pastophoria dicuntur, hoc est cubicula sacerdotum, et supellectilium templi, ut vestium sacrarum, quae hic indebant sacerdotes, ac deinde exuebant et reponbant.

Templum majus et magnificentius erat tabernaculo. Tabernaculum enim longum erat cubitis triginta (Sanctum enim longum erat cubitis viginti, Sanctum sanctorum decem) totidem altum; latum vero decem cubitis. Quare tam in tabernaculo, quam in templo, Sanctum erat quadrangulum, quia duplo longius erat quam latum, Sanctum sanctorum vero erat quadratum, quia tam latum erat quam longum. Templum autem longum erat sexaginta cubitis (Sanctum enim longum erat quadraginta cubitis, Sanctum sanctorum vero viginti) latum erat viginti cubitis, altum triginta usque ad primam conflagrationem, inde vero sursum per tabulata extendebatur ad nonaginta cubitos, ita ut universum in altitudine haberet centum et viginti cubitos.

Rursum in tabernaculo unum erat candelabrum

et una mensa, in templo vero erant decem mensae et totidem candelabra.

Insuper atria in templo majora erant quam in tabernaculo. Erant enim atria quasi amplissima area, partim sub dio aperta et patentes, partim portibus ad latera contexta, unde et porticus nominantur, ut tempore pluviae ad eas se recipere posset populus. Ad atrium sacerdotum ingressos quoque fuisse Levitas, eo quod ipsi sacerdotibus in immolatione victimarum subservirent, censent Theodorici, *Quaest.* XIII, Angelomus, cap. 1, et Serarius: qui idem censet de Nabineis, hi enim plurima ligae et aquas comportare debebant ad tot victimarum immolationem, quae fiebat in atrio sacerdotum; Joannes Budinius, lib. 1 *De Gloria Christi Domini*, cap. v, unicum atrium sacerdotum fuisse vult quatuor stadiorum, ita ut nimirum totus templi ambitus quinque stadiorum fuerit. Adrichomius, lib. *De Jerusalem*, num. 101, dicit atrium profanum fuisse quatuor stadiorum.

Allegorice, templum representabat Ecclesiam militantem; anagogice triumphantem in caelis; tropologice, animam sanctam, quae per fidem in hac vita, et per speciem in altera Deum facie ad faciem contemplantur, et hac contemplatione beatur.

Fuse et accurate templi fabricam describunt Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. iii, Pineda, lib. V *De Rebus Salomonis*; Franciscus Ribera, lib. *De Templo*; Joannes Baptista Vilalpandus, Abulensis, Arias Montanus, Christianus Adrichomius, Richardus de S. Victore, Cajetanus. Mysticeam templi explanationem fusa avertit Beda libris tribus *De Tabernaculo*, Eucherius, Angelomus, Rupertus et Franciscus Ribera, lib. V *De Templo*. Vide etiam si libet quae annotavi *Exodi* xxv et seq., ubi tabernaculum omnesque ejus partes tam ad litteram quam mystice expleni. Multa quoque addidi *Exodii* cap. xi et seq.

Magnificientia templi quanta et quam eximia fuerit ex variis conjiici potest. *Primo*, quod templum fuerit opus Salomonis, qui fuit rex sapientissimus, opulentissimus et magnificentissimus.

*Secundo*, quod templum factum sit ad ideam non hominis, sed Dei ipsius, qui illum dedit Davidi, ut eam traderet Salomoni, ut dixi. Volebat enim Deus ut Judaei et hominibus ridibus, qui Deum et divina aestimare et ponderare nesciunt, divina majestas in templi magnificentia representaretur, ut ex illa discerent eum aestimare, revereri et admirari. Hanc causam dat Salomon, *II Paralip.* ii, 3, dicens: « Domus quam aedificare cupio magna est. Magnus est enim Deus noster super omnes deos. »

*Tertio*, ex eo quod templum hoc ab omnibus habitum sit orbis miraculum. Insuper parietes et laquearia ejus tegebantur auro, ita ut omnia refulgerent auro, et intrantium oculos fulgor undique occurrentis perspiceret, ait Josephus, lib. VIII, cap. ii.

*Quarto*, ex numero operariorum et praefectorum: laborarunt enim in eo ducenta hominum millia et amplius, per septem continuos annos, ut ostendi cap. v, 13.

*Quinto*, ex opibus ad templi fabricam Salomonis relicti. Reliquit enim ei pater David, ut dicitur *I Paralip.* xxii, 14, centum millia talentorum auri, quae ad nostram monetam redacta faciunt mille et ducentos milliones. Millionem voco decies centena millia aureorum. Insuper reliquit ei mille millia talentorum argenti, quae tantumdem efficiunt, puta mille et ducentos milliones auri. Libra enim una auri olim valebat decem libras argenti. Universum ergo reliquit ei bis mille et quadringentos milliones aureorum, praeferos, ligna, lapides caeteraque fabricae materiae immensuram. Unde *I Paralip.* xxii, 14, additur: « Auri vero et ferri non est pondus: vincitur enim numerus magnitudine. »

*Sexto*, « malleus et securis, et omne ferramentum non sunt audita in domo cum aedificaretur. » Addit Josephus in fine lib. XV, a toto tempore quo templum struebatur, nunquam interdu pluisse, noctu tantum imbribus descendentibus, ne interrumpetur aedificatio, licet Josephus ibi proprie loquatur de templo Herodis.

*Septimo*, Hebraei decem mira et quasi miracula templi recensent, penes quos sit fides. *Primum*, « Nunquam abhorvit nullo propter carnis nidorem in sanctuario. *Secundum*, nunquam fuit caro sanctorum. *Tertium*, neque conspecta fuit musca in domo mactationis. *Quartum*, non accidit casus nocturnus sacerdoti magno in die expiationis. *Quintum*, non exstinxerunt pluviae ignem qui erat in striae lignorum. *Sextum*, non vicit ventus columnam fumi. *Septimum*, non reperit ullum vitium in Gomer; nec in duobus panibus, nec in panibus facierum. *Octavum*, stabant coarctati et adorabant dilatati. *Nonum*, nunquam laesit aliquem serpens et scorpio in Jerusalem. *Decimum*, nec dixit homo socio suo: angustior mihi est locus quam ut possim pernoctare Hierosolymis. »

1. FACTUM EST ERGO QUADRINGENTESIMO ET OCTOGESIMO ANNO EGRESSIONIS FILIORUM ISRAEL DE TERRA AEGYPTI, IN ANNO QUARTO, MENSE ZIO (IPSE EST MENSIS SECUNDUS) REGNI SALOMONIS SUPER ISRAEL, EDIFICARI COEPIIT DOMUS DOMINO. — Perperam ergo Josephus ab exitu Hebraeorum usque ad fabricam templi numerat annos 392 (sic enim legendum in Josepho ostendit Ribera, lib. 1 *De Templo*, cap. 1, non 612 ut jam habent Codices Latini Josephi), ac Beda numerat annos 490, Sulpitius 588, Theophilus 602, Cedrenus 672, Philastrius 713, Seraphius hic in cap. vii, numerat annos 680. Haec enim omnia repugnant huic loco, ubi Hebraei, Septuaginta, Chaldaei et Latina constanter numerant annos duntaxat 480, quorum computum praecise per annos Judicum assignavit *Judic.* cap. iii, 13. Ubi nota Septuaginta Romana hic habere annos 440 duntaxat, sed non numerant annos 40, qui-

bus Hebraei peregrinati sunt in deserto; quare egressum ex Aegypto completum intelligunt, et sub eo comprehendunt ingressum in terram promissam, qui contigit anno quadragesimo ab egressu ex Aegypto. Verum Septuaginta, Complutensis et Regia habent ut Noster et Hebraei scilicet annos 480.

Cœpit igitur Salomon ædificare templum anno quarto regni sui, mense secundo; perfecit vero illud anno undecimo mense octavo, ut dicitur vers. 37. Unde sequitur ædificationem hanc durasse septem annos, et septem menses præcise. Sed Scriptura septem menses quasi quid minutum subiecit, et integrum annorum duntaxat numerum assignat. Cœpit ergo templum fabricari anno mundi 2933, qui fuit a diluvio annis 1276, ante Christi nativitatem anno 4017, juxta tabulam Chronologicam, quam præfixi Pentateucho.

Porro Josephus ait fabricatum fuisse templum anno 12 Hiram regis Tyri, indeque numerat 143 annos usque ad ædificationem Carthagini, quam fecit Dido ex Tyro navigans in Africam. Sed error irrepsit in computu Josephi, nam non 143, sed 123 duntaxat fluxere anni, uti ex regum Tyri, qui Hiram successere, annorum numero, quem recenset Josephus, arithmetice demonstrat Sallianus anno mundi 3166, in fine quo ipse Carthaginem conditam asserit, qui fuit annus decimus Joas regis Juda, et 28 Elisei prophete, licet varii varie hæc de re scribant.

Porro, cur hic numerentur anni fabricæ templi ab egressu Hebræorum ex Aegypto, causam dant Beda, Abulensis, et ex Pineda, lib. V, cap. v, quod tunc primum suum populum redigeret Deus sub forma reipublicæ ac certis ritibus, certisque sancte religionis et fidei legibus communiret. Ideo ubi illiusmodi religionis templum amplissimum atque sanctissimum ædificabatur, et cujus erectione et opportunitate alia vel altaria vel loca religiosa cessare debebant; denique maximum incrementum religio et respublica perceptura erant, oportuit ejusdemmodi religionis et reipublicæ initia designari.

Locus fabricæ templi describitur II Paral. cap. III, vers. 4, ubi dicitur: « Et cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jerusalem in monte Moria (ubi Abraham jussus fuit immolare Isaac Genes. XXII), qui demonstratus fuerat David patri ejus, in loco quem paraverat David in area Ornan Jebusei. » Hinc et Christus ibidem, puta in monte Calvarie, qui pars est montis Moria, crucifixus seipsum victimum Deo obtulit pro mundi salute. Hoc enim adumbrabat immolatio Isaac, et victimarum omnium in templo. Denique templum ædificatum fuit in loco pertinente ad tribum Benjamin, uti omnes Interpretes docent, et patet Heuter. XXXII, 12. Sic et Plato, lib. VII Politic., et Aristoteles, lib. VI De Legibus, docent in montibus ædificanda esse templa, ut minus sint consociata, et cælo Deoque viciniore.

Rursum II Paral. III, 3, dicitur Salomon ædificasse longitudinis cubitos sexaginta in mensura prima, » id est ante distinctionem Sancti a Sancto sanctorum, prima mensura longitudinis totius templi fuit sexaginta cubitorum, quæ mensura deinde distincta et divisa est eo modo, ut ex ea Sanctum haberet 40 cubitos, reliquos vero viginti haberet Sanctum sanctorum. Ita Vatablus; aliter Abulensis. Prima mensura templi, inquit, fuit longitudo, quia primo in longum ædificaverunt utrumque templi parietem, deinde in latum parietes transversos.

IN MESSE ZIO, — jam legunt Hebræi in mense zif, quia pro  $\text{ז}$  vocali cum puncto *cholem*, legunt *zif* consonantem sine puncto. Idem mensis Hebraice dicitur  $\text{זיו}$  *zif* ab  $\text{זר}$  *or*, id est lux, splendor. Unde Chaldaeus vertit, in mense apertissimi sive splendoris florum, eo quod isto mense germina et flores se aperiant, eorumque viror et decor tunc splendescat.

IPSE EST MENSIS SECUNDUS — qui partim respondet nostro aprili, partim maio, sicut primus februario mensis dictus Nisan, partim respondet nostro martio, partim aprili, quod tempus est aptissimum ad fabricam.

2. DONTUS (templum) AUTEM, etc., HABEBAT SEKAGINTA CUBITOS IN LONGITUDINE, ET VIGINTI CUBITOS IN LATITUDINE, ET TRIGINTA CUBITOS IN ALTIUDINE. — Dies: II Paralip. IV, 4, dicitur: « Porro altitudo centum viginti cubitorum erat. » Respondet, altitudo templi usque ad primam tabulatam, sive usque ad primum tabulatam, erat triginta cubitorum, uti hic dicitur: altitudo vero ejusdem usque ad summam contignationem, sive usque ad summum tectum et pinnaculum, erat 120 cubitorum, ut in lib. Paralip. dicitur. Erat enim quasi aliud ædificium supra templum; ubi repositi fuerunt thesauri, donaria, vota, item vetus tabernaculum Moysis et Davidis altare, etc.; ita Eucherius, Angelomus, Abulensis et passim Interpretes. Vide Ribera, lib. I De Templo, cap. v, et Vilalpandum, pag. 267. Hic etiam latuit Joas puer, et postea rex, ait Cajetanus, fugiens Athalian occidentem filios regis, IV Reg. II, 3. Tanta altitudo et moles templi sustentabatur erassis parietum muris, quibus incumbebat. Muri quoque fidebantur per suas parastadas (vulgo *piestres*) et antherodes, de quibus vide Vilalpandum.

Porro ex templo hoc ad tabulata consendebatur per cochleam, de qua vers. 8: « Et per cochleam, inquit, ascendebant in medium cœnaculum (tabulatam), et a medio in tertium. »

Denique cum Judæi post reditum ex Babylone templum a Chaldeis combustum reedificaverunt, ad sexaginta duntaxat cubitos altitudinis illud evexerunt, eo quod Cyrus velaret altaria erigi, timens ne Judæi rebellantes ex templo facerent arcem, ut patet I Esdræ cap. vi, et ex Josepho.

Allegorice Angelomus: « Longitudo domus Dei, inquit, longanimitatem designat Ecclesiam, quæ

in exilio peregrinationis ejus patienter adversa queque tolerat, donec ad patriam quam expectat perveniat. Latitudo insinuat charitatem, quæ dilatato sicut montis non solum amicos in Deo, sed et inimicos diligere gaudet propter Deum: donec veniat tempus, quando sive ad pacem suam conversis, sive funditis omnibus extinctis inimicis, cum solis gaudeat amicis in Deo. Altitudo spem denuntiat futuræ retributionis, cujus intuitu libenter infirma queque, sive quæ demoleant, sive quæ adversantur, contemnit: usque dum utrisque transcensis sola mereatur videre bona Domini in terra viventium. »

3. ET PORTICUS ERAT ANTE TEMPLUM VIGINTI CUBITORUM LONGITUDINIS, JUXTA MENSURAM LATITUDINIS TEMPLI: ET HABEBAT DECEM CUBITOS LATITUDINIS ANTE FACIEM TEMPLI, — ita scilicet, ut hi decem cubiti latitudinis porticus adungerentur non latitudini, sed longitudini templi, quia latitudo porticus erat minor, utpote decem cubitorum duntaxat, quam latitudo templi, quæ erat viginti cubitorum, quare et jungi et adæquari non poterat: adjuncta est ergo longitudini templi. Eadem vero erat longitudo porticus, quæ latitudo templi, scilicet viginti cubitorum; quare illa hinc adjuncta et adæquata fuit: latitudo vero porticus, quæ erat decem cubitorum, adjuncta fuit longitudini templi, quæ erat sexaginta cubitorum, ita ut adjuncta latitudine porticus, templum cum porticu haberet septuaginta cubitos in longitudine et viginti cubitos in latitudine. Ita Ribera et alii.

Erat hæc porticus templi vestibulum ad elegantiam et magnificentiam, æque ac ad usum addita Sancto, sive anteriori parti templi. Id imitati sunt Christiani primi, qui suis templis iisdem de causis addecerent porticus, quales videmus esse Romæ in Basilica S. Petri, S. Mariæ Majoris, S. Joannis Lateranensis, S. Laurentii, S. Cecilie, etc., idque ad multiplicem usum. In porticibus enim manebant excommunicati, penitentes, catechumeni, quibus templum ingredi et Missam audire fas non erat. Item pauperes, mendicantes et peregrini, qui a pradio vel nocte basilica clausa, in porticu orabant et pernoctabant. Ad hæc, qui in templo litteras et nuntios accipiebant de rebus domesticis vel secularibus, et templo, ubi illa expedire et tractare non decebat, egrediebantur in porticum, ibique ea peragebant. In porticu etiam parabantur sedes, scamna, ornamenta cæteraque inferenda in templum.

Porro templum, inquit Angelomus et Eucherius, « erat conversum ad Orientem, sicut et tabernaculum, habebatque ostium porticus ab Oriente contra ostium templi, juxta quod historicus Judæorum Josephus aperitissimum docet, ita ut sol æquinoctialis oriens directis radiis suorum lincis per ostia tria, porticus videlicet, et templi et oraculi arcam testamenti perfundere posset. »

Unde allegorice per porticum hanc significan-

tur sancti, qui Christum processerunt, puta Patriarchæ et Prophete, qui orientem hinc mundo solem justissime primi susceperunt, et nascenti in carne Domino testimonium, sive vivendo, sive predicando, sive nascendo, sive etiam moriendo, præberunt, ut Angelomus et Eucherius.

Denique nonnulli censent hanc esse porticum Salomonis, in qua docuerunt Christus et Apostoli; ita Abulensis, Titelmanus, Jansenius, cap. XCIIII Concord. Evangel. sed hall' duntaxat: hæc enim porticus erat vicina Sancto ante atrium sacerdotum, in quorum neutrum ingredi licebat Christo et Apostolis, eo quod non essent sacerdotes veteris legis. Vide quæ de porticu Angelomus dixi Actor. cap. III, vers. 11.

4. FECITQUE IN TEMPO FENESTRAS OBLIQUAS. — Ver. 4. Hebraice  $\text{סגות עמוקות}$  *sekuphim atumim*, id est *aspicientes clausas*, hoc est, ut Chaldaeus, *intrinsecus apertas, extrinsecus clausas*, porte introrsum latifiores, extrorsum angustiores (forte etiam cancellis obductas: unde Septuaginta vertunt, *cancellatas vel reticulatas*) idcirco « *obliquas*, » ut vertit Noster, ut videlicet plus luminis admitteret: quia, ut docent Optici sive Perspectivi, in obliquis hæc fenestris radii solares venientes forinsecus intersectant se in superficie extima fenestæ, ubi est locus angustior, ac deinde dilatantur, et longe lateque se per domum dispergunt (unde Symmachus pro *obliquas*, vertit *sagittarias*, quæ scilicet lucem quasi sagittam emittunt), sic enim lux solis in domum intrat per modum pyramidis inversæ. Ita S. Hieronymus in cap. XI Ezech., Ribera, lib. I De Templo, cap. XII, Eucherius, Angelomus et alii. Audi S. Hieronymum in cap. XII Ezechiel: « Fenestæ quoque erant factæ in modum retis, instar cancellorum, ut non speculari lapide, nec vitro, sed lignis intrasiliis et vermiculatis clauderentur (pro quibus in Hebraico obliquas fenestras habes), quæ in tribus tantum erant partibus templi, ad dexteram videlicet, et ad sinistram, et post tergum, id est ad Meridie et ad Aquilonem, et ad Occidentem. Orientalis autem pars non habebat fenestras, quia ipse introitus clarum immittebat lumen intrinsecus, et cuncta interiora templi januarum lumine complebantur, ita ut per singulas fenestras et cancellorum foramina intro quis posset aspicere. »

Hæ fenestæ erant in Sancto duntaxat. Nam Sanctum sanctorum carebat fenestris ad sui reverentiam: Deus enim habitat in caigne nobis invisibili: per ostium tamen lux aliqua immittebatur in Sanctum sanctorum. Vide dicta Levit. cap. XVI, vers. 13.

Allegorice, hæ fenestæ oblique representant sanctos Doctores, per quos Deus fideles docet et illuminat, « qui, ut ait Angelomus, dum ea quæ in occulto vident publice fidelibus pandunt; quasi suscepto lumine solis fenestæ, juncta templi penetralia replent. Unde bene eodem fenestæ oblique, id est intus latiores, fuisse perhibentur, quia

nimirum necesse est, ut, quisquis jubar supernae contemplationis vel ad momentum perceperit, mox simul cordis amplius castigando dilatet, atque ad majora capessenda solerti exercitatione se preparat. » Vide dicta *Ezech.* xlii, 17.

Vers. 5.

5. ET EDIFICAVIT SUPER PARIETEM TEMPLI TABULATA PER GYRUM, IN PARIETIBUS DOMUS PER CIRCUTUM TEMPLI (id est Sancti) ET ORACULI (id est Sancti sanctorum, ex quo Deus dabat oracula) ET FECIT LATERA IN CIRCUITU. — Describit hic cellas edificatas circa templum: hoc enim significat *fecit latera in circuitu*. Erant enim haec cellae laterales templo: illudque lateraliter ambiebant per tria latera, sive per tres mundi plagas, scilicet ad Occidentem, Meridiam et Septentrionem. Nam plaga ad Orientem, ubi erat ostium et ingressus, cellas in circuitu habere non poterat. Quod ergo ait, « *super parietem*, » idem est quod juxta parietem, vel circa parietem templi. Simili enim modo de Christo dicitur *Lucæ* iv, 39: « *Stans super*, » id est juxta « *illam*, imperavit febri. » Et *Psal.* cxxvii, 1: « *Super*, » id est juxta, « *flumina Babylonis sedimus et flevimus*, » etc. Sensus ergo est, *q. d.* Salomon edificavit juxta et circa tres parietes templi spectantes ad tres mundi plagas ordinem quemdam cellarum, eumque circumcirca interna tabulata orexit et divisit, idque fecit tum ob pulchritudinem, tum ob firmitatem et custodiam templi. In his enim cellis poterant orare sacerdotes et in ipsum templum per fenestras inspicere. In fisdem cellis reponebantur divitiae templi. Unde ille a Septuaginta vocantur *apothecae*, et a Nostro, *I Paralip.* xxviii, 11, « *cellaria*. » Patet ex Josepho, lib. VIII *Antiq.* cap. ii.

ET FECIT LATERA IN CIRCUITU. — « *Latera* » vocat tabulata cellarum, ut patet ex Hebræo et Septuaginta. Haec enim latera explicat dum subdit: *Tabulatum quod subter erat quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis*. Ubi pro « *tabulatum* » Hebraei et Septuaginta habent *latus*, tabulata ergo vocat *latera*, tum quia lateraliter circumbant tria templi latera, tum potius quia unum super aliud lateraliter extabat et prominebat, ac superius erat latius quam inferius, unde Chaldaeus vocat *appendices*.

Sensus ergo est, *q. d.* Haec cellae, sive ordines cellarum, habebant tria latera, id est tria tabulata circumcirca, quorum latus sive tabulatum inferius erat quinque cubitorum latitudinis; secundum vero sex, tertium autem septem cubitorum; hoc est, tres erant ordines cellarum in tribus earum tabulatis, quorum secundus ordo erat lator primo, et tertius lator secundo ob trabes extantes, de quibus mox subdit: « *Trabes autem posuit*, » etc. Ita Sallianus, Ribera, Cajetanus et alii.

Porro hujus inaequalitatis tabulorum causa fuit, angustia aerae in monte Moria: haec enim fecit ut imae cellae essent angustae: quare superio-

res oportuit facere latiores per trabes prominentes. Ita Ribera.

6. TRABES AUTEM POSUIT IN DOMO PER CIRCUTUM FORINSECVS, ET NON HERRERTUR MORIS TEMPLI. — « *Trabes*, » id est capita trabium ultra parietes, quibus incumbabant, extantia et prominentia: Unde Hebraice vocantur *מגרות migrot*, id est *deficientia*, quia scilicet non pertingebant ad vicinum parietem templi, sed ab eo deficiebant, erantque capita trabium extantia duntaxat. Sensus est, *q. d.* Fecit ut trabes ultra suum parietem porrigerentur et extarent per sua capita, ut in his impingerentur tigna transversa, itaque tabulata superiora fierent majora, et majorem haberent latitudinem quam tabulata inferiora. Neque enim haec trabes et tabulata hrebant muris templi, sed cellae hae earumque tabulata distantes erant, licet parvo intervallo, a parietibus templi. Unde necesse est ut cellae hae haberent fenestras et regione fenestrarum templi, ut in eas lumen suum transmitterent. Hinc patet cellas et tabulata hae non fuisse prominentia ex ipso templo, ut voluit Beda, Angelomus, Lyranus et Abulensis, sed fuisse separata a muro templi, uti discrete hic asserit Scriptura.

Porro in imo ordine, sive in pavimento, quod suo tabulato legebatur, erant cellae sive cubicae 14, totidem in secundo ordine, sive in medio tabulato, totidem in tertio sive supremo, ita ut universim essent 42 cellae, quae omnes erant perviae, ita ut ex una sine ostio transiretur in aliam, et inde in sequentem, etc.; licet Josephus asserat in singulis ordinibus triginta fuisse cellas sive domunculas, quae quinque habebant cubitos in longitudine et totidem in latitudine. Sed errat in hoc, uti et in pluribus aliis Josephus, uti ostendit Sallianus.

Tropologie, tres cellarum ordines sive tria earum tabulata, notant tres status et gradus fidelium in Ecclesia, scilicet imum conjugatorum, medium sive secundum continentium, tertium et summum virginum. Ita Beda, Rupertus et alii. Vide dicta *Ezech.* xlii, 7.

7. DOMVS (templum) AUTEM CUM EDIFICARETUR, DE LAPIDEIS DOLATI ATQUE PERFECTI (qui scilicet jam dolati et perfecti erant in monte Libano vel alibi, antequam in Sion ad fabricam templi adducerentur) EDIFICATA EST, ET (id est, idcirco) MALLEUS, ET SECURIS, ET OMNE FERRAMENTUM NON SUNT AUDITA IN DOMO CUM EDIFICARETUR; — quia, ut dixit, jam lapides dolati erant, unde nec malleo, nec securi, nec ferro ad eos dolandos et aplanandos opus erat, sed tantum calce ad eos inter se conglutinandos, idque ad fabricam reverentiam, ac ne Salomonis et caeterorum fabricam spectantium aures strepitu malleatorum et ferratorum offenderent. Fabulantur Rabbinii malleum non auditum in templo, eo quod Hebraei sanguine vermiculi, quem ipsi *Janni* vocant, lapides secuerint. Theodoretus, *Quaest.* XXI et XXII, Proco-

pius et Glycas opinantur omnes lapides Deo ita dispoente sic fuisse in montibus natos vel excisos, ut ferro non esset opus. Verius Lyranus, Abulensis et Ribera, lib. I *De Templo*, cap. xii, respondent non fuisse auditum malleum vel securim, scilicet ad dolandum vel secundum lapides, qui jam in monte dolati et secti erant, ut dixi.

Anagogice, templum hic representat coelum, ubi nulla erit passio vel afflictio, quia, ut ait Eucherius et Angelomus, « *hic tundimur adversus tibiis*, et disciplina veritatis exerceatur, ut illic Deis juxta meritum congruis disponamur, et castigatione cessante solo amoris glutino quo ad invicem copulemur, uno impleti spiritu perfundamur. Hic enim foris tundimur, ut illic sine reprehensione inveniamur. Hic malleus, hic securis, hic omnia tuncionum resonant ferramenta: in domo autem Dei nulli ictus audiuntur, quia in aeterna patria omnes jam percussioinum strepitus conticescunt. »

Hoc est quod canit Ecclesia in Dedicatione Ecclesiae: « *Tunsiombus, pressuris expoliti lapides, suis complantur locis, per manus artificis disponuntur permansuri sacris aedificiis.* »

Vers. 8.

8. OSTIUM LATERIS MEDII IN PARTE ERAT DOMVS DEXTERAE: ET PER COCHLEAM ASCENDEBANT IN MEDIUM COENACULUM, ET A MEDIO IN TERTIUM. — Describitur hic cochlea, per quam ascendebatur in tabulata tum ipsius templi, tum cellarum templi adiacentium, de quibus dictum est vers. 3 et seq., ac cochleae ostium, quod erat in ipso pariete templi. Parietis enim templi crassus erat novem vel decem cubitos. Unde in eo fieri poterat cochlea sine damno parietis, uti Romae in Basilica S. Petri aliisque, imo in columna Trajani, aequae ac Antonini videmus cochleas, per quas ab imo in summum per 185 gradus intrinsecus ascenditur. Vocat hoc « *ostium lateris medi*, » id est, tabulati medi, quia per hoc ostium ejusque cochleam ascendebatur in medium, sive secundum tabulatum tam templi, quam cellarum, et ex secundo in tertium sive summum: nam infima pars templi, aequae ac cellarum, non egebat cochlea nec ascensu, eo quod sila esset in ipso pavimento. Hoc ergo ostium cum sua cochlea erat « *in parte domus dexterae*, » id est in muro templi dextro, hoc est Meridionali; nam spectantibus ad Orientem Meridies est ad dexteram, Septentrio ad sinistram. In Meridionali ergo templi pariete et muro erat haec cochlea, ejusque ostium, quae ab imo assurgebat per gradus usque ad summum tam templi quam cellarum fastigium. Triplex enim erat cellarum, ut dixi, aequae ac templi, orio et tabulatum, scilicet infimus, medius et summus. De ostio infimi ordinis et tabulati nil hic dicitur, quia illud erat in terra, unde non egebat ascensu et gradibus cochleae. « *In parte ergo domus dexterae*, » hoc est in crassitie parietis Meridionalis ipsius templi, ex imo, sive ex pavimento, surgebat cochlea cum suo ostio, ascendebatque infra crassitiam pa-

rietatis sive muri usque ad medium, hoc est secundum tabulatum sive ordinem cellarum (unde patet cellas has licet a templo separatas, per cochleam tamen ipsi fuisse conjunctas: erant enim illi vicinae) templo vicinarum, et ex secundo tendebatur et ascendebat ad tertium et supremum tabulatum sive ordinem cellarum. Sufficiebat autem unum ostium et unus ingressus in singula tabulata, quia cellae erant perviae, ut dixi. Ita Cajetanus, Ribera, lib. I *De Templo*, cap. xv, et alii.

Porro una fuerit, eademque cochlea, qua ad ipsa templi tabulata, et simul ad tabulata cellarum templo vicinarum ascendebatur, an vero dux, non plane liquet. Verisimile est duas fuisse. *Primo*, quia in Hebraeo pro cochlea est *מַלְלִית מַלְלִית*, in plurali, id est, cochleae. *Secundo*, quia haec erat commodius, et ad majorem templi majestatem. *Tertio*, quia id insinuat Josephus, lib. VIII, cap. ii, qui crebro in templo versabatur. Ita Sallianus. Una ergo cochlea ascendebatur in tabulata templi, altera in tabulata cellarum.

Tropologie, cochlea ascendens in gyrum significat non nisi per tortuosam laborum et dolorum viam ad perfectionem virtutis, et ad gloriam Beatorum in coelum conscendi. Ita Eucherius et Angelomus, cujus rei appositum extat visum in Vita S. Perpetuae, quae per scalam cultus obstitit, vidit Satyrum in carcere socium suum in coelum ascendere, ac per hanc visionem accepit omne martyrii. Ita habet Vita ejus apud Sulpitium die 7 martii.

10. ET EDIFICAVIT TABULATUM SUPER DOMVM QUINQUE CUBITIS ALTIUDINIS. — Videtur hoc intelligendum de tabulatis cellarum: nam tabulatum templi erat altum 90 cubitis, ut dixi: imo videtur loqui de summo duntaxat cellarum tabulato, ait Abulensis et Cajetanus; nam Josephus asserit totam altitudinem cellarum fuisse sexaginta cubitorum.

15. ET EDIFICAVIT PARIETES DOMVS INTRINSECVS TABULATIS CEDRINIS. — « *Edificavit*, » id est textit, vestivit, ornavit: nam parietes edificati erant ex lapidibus: lapides deinde vestivit tabulis cedrinis, sicut pavimentum vestivit tabulis abietum sive abignis, ut sequitur. Id ita esset patet ex vers. 18, ubi explicans ait: « *omnia cedrinis tabulis vestiebantur*, » nec omnino lapis apparere poterat in pariete. »

16. EDIFICAVITQUE VIGINTI CUBITORUM AD POSTERIOREM PARTEM TEMPLI TABULATA CEDRINA. — *q. d.* Sicut textit priorem partem templi tabulis cedrinis, uti jam dixi vers. 15, sic et hanc textit posteriorem partem templi, id est oraculum sive Sanctum sanctorum, ex quo Deus dabat oracula. Describitur enim hic Sanctum sanctorum, quod erat interior sive posterior pars templi, habebatque in longitudine viginti cubitos, totidem in latitudine, sed triginta in altitudine, ut et reliqua templi sive Sancti pars: totum enim templum erat altum triginta cubitos, ut dictum est vers. 2. Dicitur tamen hic

tantum ad viginti cubitos edificatum; quia videlicet ad viginti cubitos duntaxat a pavimento sursum tectum fuit tabulis e cedro (ut hac parte tabulatum videretur esse quadratum, ut fuerat in tabernaculo Moysis); reliquis vero decem cubitis in altum assurgebat nudus paries sive murus. Ita Ribera, lib. I *De Templo*, cap. vi. Nonnulli tamen putant Sanctum sanctorum tantum habuisse viginti cubitos in altitudine, sicut totidem habebat in longitudine et latitudine, ut perfecte esset quadratum, sive quadratum, totumque fuisse obiectum tabulis cedrinis: Sanctum vero solum habuisse triginta cubitos altitudinis, et proinde decem cubitis altius fuisse Sancto sanctorum, sicut Roma in multis templis tribuna, sive chorus, dimissior est reliquo templo. Cui sententiae favent hic versus, qui viginti cubitos assignat Sancto sanctorum, et quod deformis fuisset, si ejus pars una fuisset tecta cedro, altera vero nuda.

Verius videtur Sanctum sanctorum per omnia quadratum fuisse quoad tabulatum cedrinum, assurrexisse tamen ultra hoc tabulatum ad decem cubitos, ut absolute esset altum triginta cubitos, ut erat Sanctum; sed tabulato hinc viginti cubitorum tabulis cedrinis obiecto tam in Sancto, quam in Sancto sanctorum impositam fuisse formam cedrinam, quae colorum formam imitaretur et representaret: fornx autem haec ascendebat ad decem cubitos, qui supra viginti reliquos exstant usque ad tabulatum, ut solide ostendit Vilalpandus in cap. xli *Ezech.*, Azor, lib. VI, cap. lxx; nec aliud vult Ribera, lib. I *De Templo*, cap. vi, et Barradius, tom. II, lib. XII, cap. xlii.

ET FECIT INTERIOREM DOMUM ORACULI IN SANCTUM SANCTORUM, — *q. d.* Fecit ut interior domus, quae oraculum dicebatur, esset Sanctum sanctorum, hoc est sanctissima templi pars. Haec enim nunc vocatur oraculum, nunc interior domus, nunc secundum tabernaculum, nunc Sanctum sanctorum.

17. PORRO QUADRAGINTA CUBITORUM ERAT IPSUM TEMPLUM PRÆ FORIBUS ORACULI, — *q. d.* Anterior pars templi, quae erat ante oraculum sive Sanctum sanctorum, quodque dicebatur Sanctum, habebat quadraginta cubitos in longitudine.

Porro fores oraculi, sive Sancti sanctorum, erant magne, semperque aperte: unde capita vectium arcae fœderis prominentia, et velo tecta propestantibus apparebant, sive quia velum erat transparentis, sive potius quia ultra velum prominebant. Hinc et velo hoc scisso in passione Christi apparuerunt Sancta sanctorum: alioqui enim si fores oraculi fuissent clausae, illa non patuissent: Ita Ribera, lib. I, cap. vi.

19. ORACULUM (SANCTUM SANCTORUM) AUTEM IN MEDIO DOMUS (id est in ipsa domo, sive in ipso templo) FEREBAT, — non enim oraculum erat in medio, sed in fine templi; est Hebraismus.

20. SED ET ALTARE VESTIVIT CEDRO, — intellige altare thymiamatis, quod erat in Sancto obversum

Sancto sanctorum, ut ex eo fumus thymiamatis ascenderet ad Deum residentem super arcam in Sancto sanctorum. Hinc videtur quod Salomon fecerit novum altare thymiamatis, illud enim dicitur vestisse tabulis cedrinis, quas deinde auro texit vers. 21, perinde ac fabricavit novam mensam panum propositionis, novumque candelabrum majus: nam Mosaisca minora erant et viliora, quam ut congruerent magnitudini et magnificentiae templi sui novi, quare Salomon illa e templo removit, et cum tabernaculo Moysis repositus in tabulis. Id ita esse clare liquet ex cap. vii, vers. 48, ut ibi ostendam.

21. ET AFFIXIT LAMINAS CLAVIS AUREIS, — quod sine malleo et sonitu vix fieri poterat. Quod ergo dixit vers. 7, malleum, securum et ferrum non esse audita in templo, intellige quoad scindendum vel dolandum, ut ibidem praecessit, non autem quoad affigendum clavos: hi enim cum essent plurimi malleo affigendi erant, ait Ribera, lib. I, cap. xi, nisi quis dicat veriles fuisse clavos et vertilla foramina, quibus inferendi erant, ut sola eorum gyratione sine malleatione suis locis indigerentur. Sic enim Cyzici, ait Plinius, lib. XXXVI, cap. xv: «Buleuterium (domus concilii) edificatum est sine clavo ferreo, ita disposita consumptione, ut eximantur trabes sine fulturis, ac reponantur.»

23. ET FECIT IN ORACULO (IN SANCTO SANCTORUM) DOS CHERUBIM DE LIGNIS OLIVARUM, — Ita Hebraei, Chaldaei et caetera. Perperam ergo Regii et Compitensia habent, *de lignis compressis*: quare illud delent Septuaginta Romana.

Nota duo Cherubim jussu Dei a Moysè fabricati *Exod.* xiv, 18, erant duae statue habentes speciem et formam in herbis et alii juvenis: significabant enim angelos Deum stipantes. Arca enim fœderis erat quasi cista, cujus operculum erat propitiatorium: propitiatorium insidebant creati duo Cherubini, qui alas extendentes et iugentes, iis quasi solium, in quo sederet Deus, ita ut arcam haberet pro scabello pedum suorum, exhibebant; quare positi erant eo siti, perinde ac si duo homines vultibus in se mutuo conversis sese invicem aspiciant, seque manibus quasi alis teneant et complectantur.

Arcam hanc cum propitiatorio et Cherubinis (haec enim a se invicem divelli non poterant) posuit Salomon in Sancto sanctorum: ibi enim ea collocari jussit Deus Moysi. Salomon vero ad majestatem arcae, propitiarii et Cherubim Mosalorum, in templo suo addidit duos alios Cherubinos longe majores, qui arcam enim Cherubinis suis (ut pole exiguis et vix tres cubitos altis) suo corpore et alis velarent, et quasi umbella tegerent et obumbrarent: quare vultibus suis respiciebant arcam et Orientem, sed tergo murum Sancti sanctorum et Occidentem. Porro alium situm habebant et diversum a siti Cherubim, quos fabricavit Moyses: Mosaisci enim erant supra ar-

cam alis expansis utrinque se mutuo prensantes et complectentes: hi vero Salomonis consistebant pedibus erectis in pavimento Sancti sanctorum, unusque stabat juxta alterum in eodem latere quasi ejus collatere: stabat autem uterque alis in longum protractis, ita ut unus extremitate alae suae attingeret extremitatem alae alterius Cherubim, altera vero extremitate alterius alae attingeret parietem templi: quare unus extremitate alae suae attingebat unum templi parietem, alter vero extremitate alae suae attingebat alterum templi, puta Sancti sanctorum, parietem. Quaeque enim ala erat quinque cubitorum, quare duae abe unus Cherubim erant cubitorum decem, et totidem cubitorum erant alae binae alterius Cherubim: quare utraque expansa erant viginti cubitorum, quae erat longitudo aequae ac latitudo Sancti sanctorum: hoc enim longum erat viginti cubitis, et totidem latum. Ita Beda, Abulensis, Adrichomius, Ribera et alii.

Hinc Deus ex propitiatorio ad interrogata pontificis respondens, dansque oracula, dicebatur sedere super Cherubim, id est sapientissimos spiritus, et Angelos etiam Cherubinos longe scientia transcendere eosque quasi pedibus premere. Hinc etiam Deus hic vocatur Dominus *subaethi*, id est exercituum, scilicet Angelorum, quos plurimos habet et quasi innumerabiles, eosque sapientissimos atque potentissimos.

Anagogice, Sanctum sanctorum representabat caelum empyreum, arca Ecclesiam beatam, sive homines beatos, propitiatorium aureum humanitatem Christi gloriosam; Cherubini duo Angelos sanctos summe concordēs in Dei obsequio et laude, his Deitas nobis invisibilis eminet et insidet, ac beatis fam Angelis, quam hominibus summa inter se charitate flagrantibus, quod binario numero et facibus Cherubinatorum ad se invicem conversis significatur, videndum fruentumque se exhibet, haecque gloriosa visione eos in aeternum beat. Ita Beda, Angelomus, et ex iis Ribera, lib. II *De Templo*, cap. vii. Vide que de Cherubinis dixi *Exod.* cap. xxv, 18, *Ezechiel.* cap. i, 5 et seq., et *Apoc.* iv, 6 et 7, quamquam hi Cherubini Salomonis ab illis Mosaiscis et Ezechielis tam forma et statura, quam situ et habitu fuerint diversi, ut patet ex dictis. Ex hisce perspicua sunt ea que sequuntur usque ad vers. 29.

DECEM CUBITORUM ALTITUDINIS, — *q. d.* Duo Cherubini erant alti quindecim pedes, cubitus enim est sesquipedes. Erant ergo gigantea magnitudine. Quis enim gigas est quindecim pedum? idque ut magnitudinem ac majestatem, tum angelicam, tum divinam representarent.

24. DECEM CUBITOS HABENTES A SUMMITATE ALAE USQUE AD ALAE ALTERIUS SUMMITATEM, — «Summitatem» vocat extremitatem, *q. d.* Extremitas unius alae Cherubini distabat ab extremitate alterius alae decem cubitis: singulae enim alae erant quinque cubitorum, eratque utraque in rectum

exportrecta: quare sub alis corpus sive dorsum Cherubini inter alas interjacens intellige: alioqui enim plusquam decem cubitorum fuisset distantia, ut patet. Ita Abulensis.

27. POSUITQUE CHERUBIM IN MEDIO TEMPLI INTERIORIS (puta oraculi, sive Sancti sanctorum): EXTENDEBANT AUTEM ALAS SUAS CHERUBIM, ET TANGEBAT ALA UNA PARIETEM, ET ALA CHERUBI SECUNDI TANGEBAT PARIETEM ALTERUM: ALAE AUTEM ALTERE IN MEDIA PARTE TEMPLI SE INVICEM CONTINGEBANT. — Cherubini enim extendebant alas suas per totam oraculi latitudinem, ita ut unus Cherub alae unius extremitate tangeret parietem oraculi Meridionalem, alter vero alae unius extremitate tangeret parietem oppositum Septentrionalem. Latitudo enim oraculi erat viginti cubitorum, et totidem cubitorum erant quatuor alae duorum Cherubinatorum: quaeque enim ala erat quinque cubitorum: quare hi duo Cherubini in medio oraculi tangebant se invicem per duas extremitates alarum duarum alarum, illisque velabant arcam cum propitiatorio et Cherubinis Mosaiscis illi assistentibus, ita ut arca interciperetur duabus alis Cherubim super arcam a Moysè extensis, quasi sub umbella, ait Josephus, lib. VIII, cap. iv. Cherubinos enim a Moysè ex auro fabricatos fuisse cum arca in templo a Salomone repositos, sub alis duorum Cherubinatorum majorem ab eo fabricatorum docent Beda, Abulensis, Cajetanus et alii. Et ipsa Cherubinatorum cum arca connexio idipsum posuit.

Porro II *Paral.* iii, 13, additur: «Ipsi (duo Cherubini Salomonis) autem stabant erecti pedibus, et facies eorum erant versae ad exteriorem domum,» hoc est ad Sanctum. Unde liquet situs horum Cherubinatorum, scilicet eos locatos fuisse a Salomone ad exitum suis respicientem tam arcam, ita ut facibus suis respicerent tam arcam, quae erat ante se, quam Sanctum faciei suae obversum, ut videlicet pontificem per Sanctum ingredientem in Sanctum sanctorum, aequae ac populum ante Sanctum in atrio orantem obverso vultu comiter respicerent et quasi salutarent. Vultu ergo respiciebant Orientem, tergo vero Occidentem. Nam Sanctum erat ad Orientem, Sanctum sanctorum vero, praesertim ejus extrema pars, fuit extremus murus ad Occidentem. Ita Ribera, libro II, cap. vi, et alii.

Denique Judei conversi ad Sanctum sanctorum, ut adorarent Deum in eo residentem, convertebantur ad Occidentem: Christiani vero orant conversi ad Orientem: unde et templa eorum spectant Orientem, ob causas quas alibi dixi. Vide Bellarminum, lib. III *De Sacris*, cap. vi. Sic et Vitruvius, lib. IV, cap. v, docet Gentiles eo unde terra illuminatur, id est, ad ortum solis, templa sua extruxisse.

29. ET OMNES PARIETES TEMPLI PER CIRCUM SCULPSIT VARIS CREATURIS, ET TORO, — id est tornatura sive opere tornanti, quo per fornum res in figu-

ram orbicularum torquentur et rotundantur; sub toro tamen quamvis esculentum et sculpturam accipit. Unde Valabius vocat, *oculorum et sculpturis*. Torus enim subinde illem est quod caelum sive sculpturam, puta instrumentum quo res oculantur et sculptantur. Sic enim Virgilius, *Ecloga* 3, vitum toro e laboratam dicit, cum constat vitum non esse rotundum, sed figurae variantis. Et Horatius, lib. *De Arte*, asserit, carmina *torari*, id est poliri et perfici, dum ait:

Et male toratas inculci reddere versus.

Ita Sanchez, unde explicans subdit:

ET FECIT IN EIS CHERUBIM (q. d. Sculptis in parietibus templi effigies Cherubimorum iam dictorum), ET PALMAS (figuras palmarum), ET PICTURAS VARIAS. — Hebraice, *aperiones forum*; Chaldaice, *Itiorum*.

30. SED ET PAVIMENTUM DOMUS (templi) TEXIT AURUM INTRINSECUS ET EXTRINSECUS. — hoc est, tam in Sancto sanctorum, quam in Sancto. Sanctum enim erat extrinsecus, sive exterior domus; Sanctum sanctorum vero erat intrinsecus, sive interior domus, uti dixi. Igitur Salomon pavementum templi totius stravit tabulis abiignis, quas deinde auro textit, aeque ac parietes templi obduxit tabulis eodrinis, quas deinde auro vestivit. Ita Valabius, Sanchez et alii.

31. ET IN INGRESSU ORACULI FECIT OSTIOLA DE LIGNIS OLIVARUM, POSTEQVE ANGULORUM QUINQUE.

32. ET DUO OSTIA DE LIGNIS OLIVARUM, ET SCULPTIS IN EIS PICTURAM CHERUBIM, ET PALMARUM SPECIES, ET ANAGLYPHA VALDE PROMINENTIA. — q. d. Salomon in ingressu oraculi, id est Sancti sanctorum, fecit duo « ostiola, » id est parva ostia ex eisdem lignis, eaque pentagona, id est quinque angulos et totidem postes habentia; atque in eis exsculpit effigies Cherubimorum, palmarum et « anaglyphi. » Anaglypha vox est Graeca, significans imbrices et picturas e superficie parietis tabulae vel ostii extantes et prominentes. Hinc de ostiis Sancti sanctorum, nunc de ostiis Sancti haec subdit:

33. FECITQUE IN INTROITU TEMPLI POSTES DE LIGNIS OLIVARUM QUADRANGULATOS.

34. ET DUO OSTIUM DE LIGNIS ABIIGNIS ALTRINSECUS: ET UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATUR. — q. d. Salomon in ingressu Sancti fecit postes quadrangulos ex olea, eisque annexit duo ostia ex abiete, « altrinsecus, » ita scilicet ut unum ostium esset ex uno latere, alterum ab altero priori respondens et obversum.

ET UTRUMQUE OSTIUM DUPLEX ERAT, ET SE INVICEM TENENS APERIEBATUR. — q. d. Utrumque ostium erat plicatile, et habebat vertebrae, quibus una pars tenebatur, erantque in eis quasi duae plicaturae, ut vertunt Septuaginta. Hebraeus, *erant duae*, וְלִלְוִי קַלְלִים, id est valvae volubiles sive involvibiles.

Adm. Josephus huic ostio Sancti etiam appen-

sium fuisse velum, stalle velo quod appensus erat Sancto sanctorum. Ceterum porticus, quae erat ante Sanctum, nullam habebat velum, sed tota patebat anterieus, et sine ulla contiguatione surgebat in altitudinem 120 cubitorum, quae erat altitudo templi: latera ejus dantaxat claudabant parietes. Erat enim haec porticus quasi vestibulum additum templo ad ejus decorem, maiestatem et venerationem augendam.

Nota: Tres erant partes templi praecipue. Prima Hebraice vocabatur דְּבִיר דְּבִיר, vel, ut Septuaginta efferunt, *dabir*, id est oraculum, puta Sanctum sanctorum. Secunda Hebraice vocabatur הַחֵל הַחֵל, id est templum, puta Sanctum. Tertia וְחַיִּים וְחַיִּים, id est atrium, de quo vers. 36. Duo priora habebant tectum, non acuminatum, sed planum, ut in eo ambulare possent: sic enim caetera domus in Palestina erant planae, sed circumcirca habebant septem sive murum exisum, juxta legem Deut. xxii, 8, ne quis in tecto inambulans incaute ex tecto in terram laberetur et collideretur. In Sanctum sanctorum solus ingrediebatur pontifex, idque semel in anno, scilicet in festo Expiationis, *Levit.* xvi; in Sanctum vero caeteri sacerdotes; in atrium populus, unde in eo docuit Christus et Apostoli. Igitur Sanctum sanctorum erat ultima, intima et sacratissima pars templi, post quam sequebatur Sanctum, post Sanctum porticus, post porticum atrium sacerdotum, post hoc atrium laicorum mundorum, post hoc ultimum erat atrium immundorum et Gentilium.

36. ET EDIFICAVIT ATRIUM INTERIUS TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI. — q. d. Edificavit Salomon inter atrium sacerdotum et atrium laicorum murum tres cubitos altum, teste Josepho, ne laici ingredi possent atrium sacerdotum; sed sacrificia, quae in eo fiebant ultra murum conspicerent: atque hic murus habebat tres ordines lapidum politorum, quorum alter alteri impositus erat, et super omnes lapidum ordines impositus ordinem unum lignorum a cedro.

Atrium hoc laicorum, sive populi Israel, non tantum a parte anteriore, ut putat Ribera; sed ex tribus partibus sive plagis mundi, ambiebat atrium sacerdotum, scilicet ab Oriente, Meridie et Septentrione: nam ab Occidente atrium sacerdotum claudebatur Sancto et Sancto sanctorum. Ita Josephus, Theodoretus, Serarius, Salianus, Vilalpandus. Hinc atrium laicorum in septem quadratam vel quadratas areas, ut Vilalpandus et Salianus, erat distributum; quare in eis erat locus feminarum separatus a viris, honestatis et castitatis

causa, uti Romae fit in templis plerisque. Porro nulli Gentili, sed solis Judeis, iisque mundis, licebat ingredi atrium laicorum. Quare pro immundis Herodes, vel ipse Salomon, ut vult Vilalpandus, pag. 206, adiecit tertium atrium, sive porticum Gentium; quia Josephus docet Salomonem impluisse voraginein Mello, eamque extimo muro clausisse, alioqui enim inde in voraginein labi potuissent. Hic ergo murus fuit atri Gentium, de quo et *Ezechiel* cap. xl, 3. Ex quo patet murum hunc fuisse quadratum et in quolibet latere longum fuisse sexcentos cubitos, id est, ut Josephus ait, habuisse stadium cum dimidio. Stadium enim continet 400 cubitos: murus autem atri Israel, separans illud ab atrio Gentium, erat 500 cubitorum in longitudine a quolibet latere.

Ex hoc tertio Gentium atrio gradibus ascendebatur ad secundum atrium Israel sive Judeorum, eratque intermedium vallum lapideorum cancellatum tres cubitos altum, cui inscriptum erat: « Ne quis Gentilis illud transiret sub pena mortis. » Ita Josephus. Hinc intelligimus illud *Actor.* xxi, vers. 28, quomodo et cur murruravit Judaei contra S. Paulum, eo quod putarent ipsum Trophium sodum suum, qui erat Gentilis, induxisse in templum, hoc est in atrium Israel. Atria haec multas habebant portas, inter quas una erat nomine Speciosa, *Actor.* iii, 2.

TRIBUS ORDINIBUS LAPIDUM POLITORUM, ET UNO ORDINE LIGNORUM CEDRI. — q. d. Edificavit Salomon inter atrium sacerdotum et atrium laicorum murum tres cubitos altum, teste Josepho, ne laici ingredi possent atrium sacerdotum; sed sacrificia, quae in eo fiebant ultra murum conspicerent: atque hic murus habebat tres ordines lapidum politorum, quorum alter alteri impositus erat, et super omnes lapidum ordines impositus ordinem unum lignorum a cedro.

Atrium sacerdotum erat altius atrio laicorum, ut sacerdotes in eo celsiores essent populo, et ab eo digna afficerentur reverentia: sic et atrium laicorum altius erat atrio Gentium, quare ex atrio Gentium ad atrium Israel ascendebatur septem gradibus: ex atrio vero Israel ad atrium sacerdotum octo gradibus, inde ad Sanctum decem gradibus, ut docet Vilalpandus, pag. 248, et patet *Ezech.* xl, 6. Quare ab atrio Gentium ad Sanctum ascensus erat graduum 23, sed usque ad atrium sacerdotum quindecim, in quibus decantabant quindecim psalmos graduum sive Graduales, ut tradunt Hebraei, S. Hieronymus et alii.

Intra haec atria, puta in ipsis porticibus atriorum, ad eorum muros vel latera erant exedrae, ut *Paralipom.* xxviii, vers. 42. Exedrae autem dicebantur cubiculum columnis fultum et epistylis pluribus, in quibus vacua erant spatia, quibus pleribus, in quibus aedificatae erant aedificatae, ut in viam. In his exedris partim manebant sacerdotes eo tempore quo ministrabant in templo, qui hic vestes sacras inducebant et exuebant; partim servabatur supellex, obla-

tionae et dona templi: unde et vocabantur « gazophylacia, » quia in eis servabatur gaza, id est opus templi, in eisque erant arcae, in quas populus pecuniam, quam tempore offerebat, injiciebat. Hinc intelligimus illud *Joannis*, cap. vii, vers. 40: « Et haec verba locutus est Jesus in gazophylacio docens in templo: » gazophylacium enim nunc exedram, nunc arcam vel cistam quae gazam continet, significat.

Haec exedrae dicebantur quoque *postophoria*, uti vertunt Septuaginta, a *παρὰ*, id est thalamus, quia habitabant in eis sacerdotes cum templo desererent, qui ideo vocabantur *postophori*. Ita S. Hieronymus, lib. vii in *Isaiam*.

Allegorice, atrium representat vitam incipientium Deo servire, Sanctum vitam proficiendum, Sanctum sanctorum vero perfecturum: unde in atrio erat altare holocaustorum, quod significat mortificationem cupiditatum, et mare (tenem sive lavacrum, quod symbolum est poenitentiae. Vide dicta *Ezodii* xxvi, initio capitis.

37. ANNO QUARTO (regni Salomonis) FUNDATA EST DOMUS DOMINI. — Ad templi fundamenta, ait Vilalpandus, lib. iv, cap. lxxi et sequenti, pertinent subterranea loca plurima opere firmissimo constructa, et superioribus operibus accurate respondentia, ubi cryptoporticus, et culinae, et gazophylacia, horrea, cellae vinariae et oleariae, exedrae, officinae, et id genus alia loca, quae adeo ampla fuerunt atque capacia, ut in illa inferri possent ac conservari omnes primitiae ac decimae totius Israelis, ut suis temporibus multis sacerdotum, ac Levitarum millibus distribui possent.

Similia videmus Romae in cryptis praesens Martyrum, Pontificum et fidelium, adeo ut Roma subterranea non tantum Urbis, sed et orbis sit miraculum.

38. ET IN ANNO UNDECIMO (Salomonis), MENSE BUL (ita legendum cum Hebraeo, Septuaginta et Romanis, male ergo Regia habent Elal), INSE EST MENSIS OCTAVUS, — qui nostro partim octobri, partim novembri respondet. Hebraei enim mensibus utebantur lunariis, nos vero solaribus. October dicitur בּוּל bul a בּוּל *nabal*, id est desistere, quod in octobri defluunt folia et deplunt imbres. Ita Serarius: Chaldaeus vertit, *mensis quo congregantur novae fruges*.

EDIFICATIOQUE EAM ANNIS SEPTEM. — Adde, et septem mensibus ut patet computanti a secundo mense quarti anni Salomonis usque ad mensem octavum anni undecimi ejusdem: sed Scriptura integros numeros annorum consignat, minutias omittit.

Allegorice, Radulphus in Praefat. lib. xvii in *Levit.*: Templum Salomonis, inquit, septem annis, et septem mensibus, constructum est, quia a Christi adventu usque ad ejus reditum ad iudicium per septiformem Spiritus gratiam Ecclesia construitur, donec in fine consummetur; idque fiet toto hoc saeculo, quod septem dierum cursu peragitur, ait Eucherus; sic et Angelomus.